



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 10. An licet occidere alium in defensionem honoris & famæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

Not. Innoc. XI. damnavit has tres propositiones. 31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. 32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. 33. Licitum est, tam heredi, quam legatario, contra injuste impediendam ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impediendam.

Q. 10. An licet occidere alium in defensionem honoris, & famæ?

Resp. Nemini licet etiam ad injustam infamiam, aut contumeliam impediendam, vel reparandam; quia vita est bonum per se irreparabile, & majus honore, ac fama; cum inter bona naturalia principem locum obtineat. Ergo iniquum est, & contra legem charitatis, eam adimere proximo ad defensionem honoris, & famæ, quæ sunt bona inferioris ordinis, & per se reparabilia. Id etiam repugnat patientiæ, mansuetudini, & humilitati christianæ. 2. Percussio, vel occisio in illo casu est vindicta, non defensio; nam non conducit ad servandum honorem, utpote jam ablatum per injuriam, sed solum ad acquirendum alium honorem apud mundanos homines ob fortitudinem falsam, qua offensam vindicasti. 3. Si id liceret, pateret via multis cædibus, violent-

lentiis, & perturbationibus in magnam Reip.
 perniciem: unde debuit prohiberi lege natu-
 rali. 4. Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Fas*
est viro honorato occidere invasorem, qui nititur
calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari
nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat
alapam, vel fuste percutiat, & post impactam
alapam, vel itum fustis fugiat. Hinc etiam,
 ex communi, non licet alapam pro alapa, fu-
 stem pro fustibus reddere, si jam percussor ab
 injuria destitit: quia jam non esset defensio,
 quæ locum non habet, nisi in actuali aggres-
 sione; sed hoc esset vindicta, cum non sit uti-
 le ad tuendum, vel recuperandum honorem,
 nisi quatenus continet rationem vindictæ,
 quæ semper illicita est. *De Lugo* Imò non
 licet convitiis convitiis, contumelias contu-
 meliis repellere: quia hæc non est via ordina-
 ta, & apta honoris defendendi, sed reddere-
 tur malum pro malo privata auctoritate, quod
 non licet, ex I Pet. 3. *Non reddentes malum*
pro malo, nec maledictum pro maledicto. Ec. &
 Luc. 6. *Benedicite maledicentibus vobis, & ora-*
te pro calumniantibus vos. Sed illatæ contu-
 meliæ repelli possunt verbis non contumelio-
 sis; vel actione injuriarum, si necesse sit ad re-
 primendam alterius audaciam, vel ad digni-
 tatem, ac auctoritatem suam tuendam, sine
 tamen odio, & cum animo parato remittere
 hanc satisfactionem justam, & plures alias in-
 jurias ferre, si salus proximi id exigeret, ex
 Matth. 5.

Matth. 5.

Matth. 5. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.

Object. 1. Honor, vel fama est quid præstantius vitâ.

Resp. Non est nisi in æstimatione stultorum, & imprudentum; sed est bonum longè inferior, utpote in alieno iudicio positum, & quod desiderare propter se mera vanitas est. At vita est primum, ac fundamentum omnium bonorum naturalium, & per se irreparabile, cuius dominium habet solus Deus. Deinde fama vera nititur sola vera virtute. Cura autem boni nominis, quam Scriptura commendat, consistit in eo, quòd homo nihil turpe agat, nihil quod naturam rationalem, & dignitatem Filii Dei adoptivi dedeceat.

Object. 2. Calumnia, & contumelia non vindicata reddit hominem infamem.

Resp. Neg. Nam cum aliunde constat eum, qui calumniam, aut injuriam passus est, esse virum probum, aut fortem; ejus moderatio non ei vertitur vitio, sed laudi apud prudentes; nihil enim indecorum agit, qui injuriam non ulciscitur, sed fert patienter secundum præceptum, & exemplum Christi, aut moderatè defendit in iudicio. Imò condonatio injuriarum est præstantissimus fortitudinis actus, ac proinde summa laude digna. Præterea occisio, vel percussio calumniatoris, aut percussoris non est medium aptum ad abstergendam infami-

infamiae labem, nisi juxta perversum judicium quorundam mundanorum hominum, reprobatum à Deo, & contemnendum: non enim ex calumniatoris occisione sequitur cognitio falsitatis ipsius calumniae, imò sæpè contrarium accidit. Demum si quis honorem suum, & famam aliter recuperare nequeat, debet illius jacturam inter damna irreparabilia recensere, & æquo animo ferre propter amorem Dei id præcipientis sub poena æterna, & remunerantis immenso veræ gloriæ pondere.

Q. II. An in defensionem alterius licet occidere injustum invasorem, & an ad hoc tenemur?

Resp. I. Ex communi, licet vitam proximi ab alio injustè oppugnatam defendere, etiam cum occisione invasoris injusti, si aliter defendi nequeat: quia sicut possumus tueri vitam propriam cum occisione invasoris injusti, modo explicato; ita & vitam proximi innocentis, qui charitatis nexu nobis conjunctus est, & quem debemus sicut nos ipsos diligere.

Resp. II. Per se loquendo nemo tenetur vitam hominis privati cum periculo vitæ propriæ defendere; quia quisque potest secundum ordinem charitatis magis vitam propriam diligere, quam vitam alterius privati: ergo non tenetur vitam suam exponere ad temporalem hominis privati vitam conservandam. Privati tamen tenentur vitam suam expo